



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Hermannus Joseph. Dilectio Mariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. HERMANNUS JOSEPH.

Dilectio Mariae.

Deus, qui B. HERMANNVM-JOSEPH
benedictionibus dulcedinis à pueritia
sic prævenisti, ut etiam Mariæ Virgini
desponsari per Angelū mereretur; præ-
sta ut innocentie ejus imitatores, ad te
pertingere immaculati mereamur.

Ora pro Sodalitiis Marianis.

HERMANNVS, in re parentum tenui Coloniae natus, ab ipsa pueritia cepit Deiparae visu frequenti & materna fovendi cura. Ab hac an. 12 ætatis Steinfeldiam ad Ordinem Præmonstratensem directus, & Sacristiæ ministerio jam adultior applicatus, singulari enituit vitæ ac morum innocentia, quæ familiari cælitum conspectu dignum fecit, Ursulanarum Virginum imprimis, Virginumq; Reginae Deiparae: cui etiam ab Angelo sponsus traditus, & JOSEPH deinceps appellari iussus est. Tandem Paschalis Officii causa ad Ordinis sui Sanctimonialis missus, vivendi finem apud eas fecit, anno 1436 vel 41. Inde cum defuncti corpus Steinfeldiam referri Archiepiscopus indulgisset; repertum est post 7 hebdomades integrum, atque in tumulo elatiori locatum. Tumulus hic an. 1509 in mediam ecclesiæ navim delatus, ibidem hodie dum manet, & quotidianis ad ipsum sacrificiis colitur. Pars vero insignis sacri corporis an. 1673. Antverpiam ad Norbertinas delata, magno ibidem in honore est. Vitam Steinfeldensis cœvus scripsit.

*Ego mater pulchra dilectionis: in me spes
omnis vitæ & virtutis. Ecli. 24.*